



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XIV. De Apostatis et Reiterantibus Baptisma.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

TITULUS XIV.

DE APOSTATIS ET RE-  
ITERANTIBUS BAPTISMA.

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 9.

§. 170.

**A**POSTASIA latine denotat desertio- *Apostata-*  
nem, rebellionem, transfugium, *tarum*  
Triplex solet assignari classis I. eo-  
rum, qui a tota fide christiana rece-  
dunt, assumendo Judaismum, Tur-  
cismum, seu Paganismum. II. Eo-  
rum, qui ab ordine approbato, in  
quo vota religiosa ediderunt, rece-  
dunt sine animo redeundi. III. Eo-  
rum, qui post susceptos Ordines sa-  
cros, dimisso habitu Clericali ad  
statum Laicalem, vel etiam matri-  
monialem propria temeritate transi-  
re attentant.

§. 171. In pœnis desertorum leges *Pœna ex*  
variarunt. Clerici desertores a Ju- *Jure Ci-*  
STINIANO traditi fuerunt Curia Civ- *vili.*  
tatis, ministraturi in posterum pub-  
lico, *quando Domini DEI servitio se ab-*  
*dicaverunt 89.*) Monachus desertor,  
substantia ejus in Monasterio rema-  
nente, inter officiales Præsidis, id  
est,

---

89.) L. 53. §. 1. C. de Episcop. & Cler.



est, inter apparitores Judicis statuo-  
batur, & hunc habebat mutationis  
fructum, ut qui sacrum ministerium  
despexit, Tribunalis terreni oble-  
vet servitutem 90.) : postea magis  
placuit, eundem in Monasterium re-  
vocari 91.)

*Ex Jure Canonico.* §. 172. Hodie eos, qui a Fide  
Christiana recedunt, vel tales Apo-  
statas fovent, gravissimis haretico-  
rum, & aliis pœnis, confiscationis  
bonorum, intestabilitatis, imo etiam  
ultimi supplicii subjacere, facile cui-  
vis notum est. De iis, qui Religio-  
sum Ordinem post vota Religiosa de-  
serunt, præsertim dimisso habitu re-  
ligioso, præter varias Censurarum  
pœnas, singularem Constitutionem  
edidit Concilium Tridentinum 92.)  
vi cujus etiam illi, qui Professionem  
sua nullitatem allegare volunt, non  
audiuntur, nisi intra quinquennium  
tantum a die Professionis: si quis au-  
tem antequam causas coram Superi-  
ore suo & Ordinario deduxerit,  
habitum sponte dimiserit; nul-  
latenus ad allegandum quæcumque

90.) Novell. V. c. 6.

91.) Novell. 128. c. 42. Novell. Leonis 8.

92.) Sess. 25. c. 19. de Regular.



que causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Ordinem servandum in causis super nullitate Professionis Regularis accurate præscribit BENEDICTUS XIV. 93.). Apostatæ ab Ordinibus sacris dimisso habitu & tonsura, Censuris Ecclesiasticis ad habitum resumendum compelluntur 94.): denique amittunt privilegium Canonis & fori, saltem si post trinam Episcopi monitionem se non emendaverint: si comprehendi possunt, incarcerantur tam severe, ut non nisi *vita sibi misera reservetur* 95.). De Reservato Ecclesiastico, & amissione Beneficii Ecclesiastici, alibi dictum 96.). Si quis autem in sacris Ordinibus constitutus, & Beneficium Ecclesiasticum possidens, matrimonium contrahere attentat, merito præsumitur deserre Catholicam fidem, & præter poenas Canonicas, ex Pace Religionis,

ac

---

93.) Bullarii sui tom. 2. Const. 47.

94.) C. 3. h. t.

95.) C. 5. eod.

96.) Præcogn. Jur. Can. tit. 19. §. 393.  
n. V. & 397. n. V.



ac Instrumento Pacis Westphalica, perdere beneficium, dignitatem, redditus &c.

*Pœne  
transfu-  
garum  
militum.*

§. 173. Huc commode trahi potest crimen desertionis, qua milites a signis suis, ad quæ juramento se strinxerunt, aufugiunt. Huic desertioni omnes leges militares pœnam mortis statuunt, & quidem ob circumstantias aggravantes, pœnam laquei: si vero deprehendantur caute temperandi pœnam, desertor virgidemiam subire, id est, commilitonibus suis longo ordine utrinque stantibus, nudatum tergum virgulis cedendum præbere debet 97.). Circumstantiæ aggravantes sunt, si quis jam veteranus, aut in honoratissimo officio constitutus sit; si per iteratam desertionem habitum contraxisse videatur; si quis alios ad eandem perfidiam sollicitet, aut secum ducat;

97.) Milites Romani a Centurionibus virgibus te cædebantur; in exteros virgis advertebat. Unde vitis gestamen erat Centurionum. TACITUS lib. I. Annal. c. 23. de Centurione Lucilio loquitur, cui *militaribus facetiis* vultu *bulum, cede alteram, indicierant, quibus fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rursus alteram poscebat.*



eat; si quis ex ipsa statione, quam tenere deberet, & quidem cum armis profugiat, præsertim belli tempore; si quis insequentibus armata manu resistat; si quis falsificatis literis ad tutiorem fugam utatur &c. Circumstantiæ diminuentes sunt, si quis adhuc sit novitius; si contra voluntatem suam militiae adscriptus sit; si promissa stipendia non rite acceperit; si pacis tempore sua obsequia parum utilia inter milites crediderit &c.

§. 174. Apostatis affines sunt, qui *Reiterant Baptisma*: unde in *Corporibus Juris Canonici* conjungitur Rubrica *Baptis- de Apostatis & reiterantibus Baptisma.*

Non intelligimus hoc loco eos, qui tertio post Christum natum seculo, sedente STEPHANO Pontifice, quaestionem nondum tunc temporis ab Ecclesia decisam agitarunt, an baptizati ab Hæreticis, denuo sint rebaptizandi, quando ad fidem Catholicam transeunt: affirmativæ opinioni adhærere visus est S. CYPRIANUS cum quibusdam Africanis Conciliis. STEPHANUS autem Papa decrevit, eos non esse rebaptizandos, modo legitima materia & forma Baptismi sit adhibita.

§. 175.



*Post de-* §. 175. Facta jam decisione Ecclesie  
*cisionem* ex schismaticis potissimum principis  
*ecclesie,* variis temporibus se prodidit hæresis  
 rebaptizantium, præsertim in Africa  
 Seculo IV. & V., ubi Donatista & Eulomiani iterabant Baptismum. Contra  
 hos videntur ferri plures Leges Codicis Theodosiani Tit. *Ne sanctum Baptisma iteretur*: datæ enim sunt Leges illæ in  
 Africam, Sedem præcipuam eorum hæreticorum. Tempore S. BERNARDI  
 Baptismum in majori ætate conferebant aliqui, cum infantes ejusdem  
 incapaces crederent 98.).

*Ubique* §. 176. Recentiores Anabaptista,  
*damnan-* qui præter alia abominanda dogmata  
*tur.* negabant Baptismum prodesse infantibus,  
 eo quod fidem non habeant, varios duces sequebantur, qui se doctrinam suam ex scriptis Lutheri habuisse jactabant, præsertim BALTHASAR PACIMONTANUS 99.). Dispersos ubique

98.) S. BERNARDUS serm. 66. in Cantuar. & Epist. 240. ubi perstringit HENRICUM PETRI DE BRUIS hæretici successorem.

99.) Vid. COCHLÆUS de Actis & Scriptis Lutheri ad ann. 1527. & 28. BALTHASAR PACIMONTANUS de Controv. fid. tom. 3. de Baptismo l. 1. c. 8.



que nefandæ doctrinæ sectatores, ubique investigabat, & ad supplicium trahebat Petrus Aichele, quem Principes Catholici sub nomine Ligæ Suevicæ uniti, sententiarum suarum contra novatores executorem constituerant. Unde plurimi in Suevia damnati ad mortem, viri capite truncati, feminae aquis submersæ sunt. Præcipuam sedem ponebant Monasterii in Westphalia, ubi Regem venerabantur Joannem a Leyden, opificio sartorem. Contra hanc sceleratam turbam Episcopus Monasteriensis arma Principum Imperii imploravit, & obtinuit 100 ). Sectæ hujus reliquias adhuc hodie deprehendimus in Germania, nescio quo jure toleratas; cum Leges Imperii tam rebaptizantes, & eorum ministros, quam rebaptizatos pœna ignis vel gladii; Sacri Canones autem Irregularitate, depositione a Clericatu, & aliis gravissimis pœnis exterminatos velint. Judæus baptizatus in aliquo loco, si lucra causa rebaptizari se curat in alio loco

O punitur

---

100.) Vid. Recessus Imperii. Wormatiæ anno 1530.

*De Judic. Crim.*



punitur fustigatione & perpetuo exilio, tanquam reus de crimine falsi i.)

## TITULUS XV.

### DE ALIIS CRIMINIBUS CONTRA FIDEM, PRÆSERTIM DE JUDÆIS.

*Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 6. Clement.  
Tit. 2. Extravag. Joann. XXII.  
Tit. 8. Commun. Lib. V. Tit. 2.*

§. 177.

*Infidelibus non deberet permitti habitatio inter Catholicos:*

**H**ÆRESIS & Schisma proprie est delium, seu baptizatorum, qui per baptismum ingressi sunt in Ecclesiam, & vel ab ipsius fide, saltem in aliquo articulo, vel ab obedientia secedunt. Infideles autem dicuntur qui carent baptismo & fide in Christum. Ex his aliqui vocantur Gentiles, Ethnici, vel Idololatræ, qui rebus creatis patriæ cultum exhibent. Alii dicuntur *Saraceni*, qui sequuntur Mahometis sectam, uti sunt Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Ægyptii, qui aliquem vero Numini cultum

i.) Vid. JODOC. BECK de Jur. Judæor. fol. 331. seqq.